



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. III. Quot modis absolutio a Censura conferri possit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

etiam Superiori non amittit suam jurisdictionem quoad ea, quae appellationi non obstant; atqui non obstat absolutio appellationi; cum propter absolutioem interponatur appellatio; ergo potest iudex, a quo appellatum est, etiam post appellationem absolute.

XI. Infertur ex dictis primo, excommunicatum a proprio Episcopo, etiamsi domicilium mutet, non posse absolvi ab Episcopo, in cuius Diocesim domicilium transtulit, sed debere a priore Episcopo, vel ejus superiore, aut successore, aut delegato absolvi, si excommunicatio fuit specialis. Ita Doctores communiter, ex cap. *Proposuisi, de foro competenti* apud Con. dub. 16., & Suar. disp. 7. sect. 2. Ratio est, ne Judicium jurisdictio perturbetur, eorumve auctoritas contemnatur. Quod si excommunicatio lata fuerit per sententiam generalem, potest probabiliter absolvi ab alio Episcopo, in cuius Diocesim domicilium transtulit; immo etiam a Parrocho, atque adeo etiam a quolibet Confessario, qui possit absolute a mortalibus, si censura non sit reservata, ut docet Laym. part. 1. cap. 7. ex citat. cap. *Nuper*.

Infertur secundo, quod si excommunicatus ab homine per sententiam generalem, vel per statutum Religionem ingrediatur, possit a Praelato Religionis absolvi: Contra vero si sit excommunicatus per sententiam specialem, secluso privilegio; nam ratione causa inchoata in tali casu jurisdictio maneret penes priorem Judicem, a quo fuit excommunicatus: Habetur enim regula generalis in cap. *Proposuisi, de foro competenti*, quod *Præventus a iudice forum ipsius in ea causa declinare non potest*.

Infertur tertio, quod si Advena Nolanus, exempli gratia, incurrat Neapoli excommunicationem latam

per sententiam specialem ratione delicti Neapoli commissi, non possit ab Episcopo Nolano, sed solum a Neapolitano absolvi; secus vero si excommunicationem latam per statutum incurreret.

Advertit hic Con. num. 259., quod si tam Episcopus, quam subditus excommunicatus exsulant extra propriam Diocesim, possit Episcopus suum subditum absolute; quia potest extra territorium exercere jurisdictionem voluntariam, seu gratiosam, quae fit sine strepitu judiciali, ut docent communiter cum Covarr.

Rogabis: Si excommunicatus per sententiam specialem non possit ex legitimo impedimento adire latorem censuræ, & paratus sit debitam satisfactionem præstare, poteritne ab alio aequali, vel ab inferiore Judice absolvi?

Respondeo, ex cap. *Quamvis, de Sententia excommunicationis* affirmative; dummodo det prius juramentum, quod, quamprimum poterit, ei se presentabit, cui de jure absolutio competebat.

ARTICULUS III.

Quot modis absolutio a Censura conferri possit?

- I. *Absolutio a censuris dari potest vel conditionate, vel ad cautelam, vel ad reincidentiam.*
- II. *Cur censura ferri possit sub conditione de futuro, non tamen absolutio a censura regulariter?*
- III. *Num sine nova culpa possit aliquis in priorem excommunicationem reincidere?*
- IV. *Qui tenetur adire Pontificem pro absolute, si impedimento laboret, poterit adire per Procuratorem, vel per Epistolam, sed ad id non obligatur.*

V. *Ab-*

V. *Absolutus ad reincidentiam ab Inferiore, nisi intra mensem, verbi gratia, satisfaciat, num teneatur Papam adire pro absolute, si satisfecerit intra illum mensem?*

I. **Q**uæritur primo; Quotupliciter dari possit absolutio a censura?

Respondeo quadrupliciter, videlicet vel absolute, vel conditionate, vel ad cautelam, vel ad reincidentiam. Primo datur aliquando absolutio *Absolute*, & simpliciter, quando scilicet reus emendatus absolute liberatur.

Secundo datur *Conditionate*, ita ut purificata conditione reus sit omnino liber a censura: Verbi gratia, si absolvatur Titius statim ac parti læsæ satisfecerit, parte satisfacta remanet absolutus. Nonnulli cum Antonin., Sylvest., & aliis apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 14. dixerunt, absolutionem sic collatam sub conditione de futuro esse invalidam, non secus ac absolutio a peccatis data sub conditione de futuro. Sed Covarr., Nav., Con. num. 218., & alii communiter id negant, si detur sub conditione de futuro pertinente ad causam; quia absolutio sic data nullo jure irritatur, nec prohibetur; ergo non solum est valida, sed etiam ex rationabili causa est licita; ut fusc diximus quæst. 1. art. 5. loquentes de censura lata sub conditione. Verum tamen est, quod si absolutio daretur sub conditione sine rationabili causa, esset illicita; tum quia contra usum Ecclesiæ daretur; tum etiam quia relinquere-tur iudicio censurati decernendum, an purificata esset conditio, & consequenter an dici deberet absolutus, ut notat Villalob. apud Dian. loc. laud.: Contra tamen absolutio a peccatis non solum est illicita, sed etiam invalida, si conferatur sub conditio-

ne de futuro; quia positis omnibus constitutivis Sacramenti, non potest effectus sacramenti suspendi, ut diximus in de Sacramento matrimonii; Ubi notavimus ex Perez, posse Sacramentum matrimonii confici sub conditione de futuro, non solum quia hoc fert natura contractus elevati a Christo Domino ad rationem Sacramenti, sed etiam quia contractus sub conditione celebratus tunc habet rationem contractus absoluti constituentis Sacramentum, quando purificatur conditio; & consequenter neque in tali casu suspenditur effectus Sacramenti matrimonii positis omnibus suis constitutivis.

II. Inquirat hic Suar. num. 11. quare possit licite ferri censura sub conditione de futuro pertinente ad causam; absolutio vero a censura non licite conferatur sub eadem conditione, nisi ex rationabili motivo; (quod tamen raro accidit) Etenim vel quando datur absolutio a censuris, reus est dispositus, vel non; Si primum, non debet absolutio differri, quousque purificetur conditio; Si secundum, absolutio simpliciter non est danda, ne sub conditione quidem.

Respondet idem Suar., disparitatem esse; quia cum peccata occulte fiant, & a peccatoribus plerumque abscondantur, expedit aliquando ea puniri ipso facto, & sic minari censuram ipso facto incurrendam sub ea conditione, quod tale peccatum committatur, ut sic facilitas peccandi coerceatur: Contra vero, cum satisfactio, seu resipiscentia per se loquendo non abscondatur, non est opus dare absolutionem sub conditione resipiscentiæ, vel sub alia conditione de futuro, sed statim post resipiscentiam dari debet absolutio absoluta. Dixi per se loquendo, cum possit accidere casus, in quo licite detur sub conditione de futuro, si scilicet excommunicatus debeat abire

ire in regionem longinquam, & non possit, nisi post mensem, verbi gratia, satisfacere, ne se infamet; tunc certe dari potest absolutio sub conditione, quod intra mensem satisficiat.

Neque dicas, in Regula 50. juris in 6. habetur, *Quod actus legitimi conditionem non recipiunt*; ergo absolutio nunquam dari potest sub conditione. Nam contra est, quia ibi non est sermo de omnibus, sed de quibusdam actibus legitimis, qui enumerantur in leg. *Actus legitimi*.

Dubitatur; Num absolutio sub conditione de futuro ad causam imperitante sit valida? Verbi gratia, Absolve te, si cras pluet.

Suar. disp. 3. sect. 3. cum Filliuc., Ugolin. aliisque communiter putat esse invalidam, ut diximus quæst. 1. art. 5. de censura lata sub ea conditione; quia scilicet talis absolutio contineret intolerabilem errorem, & ab usum potestatis Ecclesiasticæ, dum vellet absolvens ejus effectum pendere a futuro contingenti nullatenus ad rem pertinente. Ex cap. autem *Per tuas*, de *sententia excommunicationis* habetur, quod invalida sit censura lata, necnon absolutio continens errorem intolerabilem.

Sed Bonac. punct. 7. ex Con. putat esse validam, nec continere intolerabilem errorem; nam sicut non est invalida, nec continet talem errorem absolutio data sub conditione imperitante de præterito, vel de præsentis, (quod adversarii concedunt) verbi gratia, Absolve te, si heri, vel nunc pluit in Indiis; ita nec absolutio data sub conditione impertinente de futuro: Quàmvis enim utraque contineat aliquem ab usum Ecclesiasticæ potestatis, non tamen errorem intolerabilem; qui certe continetur in infirmitate censura sub tali conditione: Plura enim requiruntur ad ligandum,

quam ad solvendum; ergo, &c. E. quidem sententiam Suar. existimo probabiliorem.

Tertio, datur aliquando absolutio *Ad Cautelam*; quando enim ignoratur, an quis censuram incurrit, & absolvens vult cavere damno, quod ex censura ignota provenire possit, tunc datur illi absolutio ad cautelam. Hinc ante absolutionem sacramentalem præmitti ad cautelam solet absolutio a censuris, etiam si nulla suspicio sit, quod poenitens censuram incurrit; idque in reverentiam Sacramenti, ne impediatur ejus susceptio a censura aliqua forte ignorata. Præmitti etiam solet ante susceptionem Ordinum, ante beneficiorum, aliorumque privilegiorum collationem, ne hæc invalida postmodum inveniantur. Notant vero Doctores, quod præsupponi debeat ignorantia censura in petente, ut possit conferri sic absolutio, ex cap. *Solet*, de *sententia excommunicationis* in 6. Quia tamen absolutio ad cautelam peti potest vel in foro conscientia, vel in foro externo, sciendum, quod si petatur in foro conscientia, standum est dicto petentis, qui promittit se satisfacturum, si forte consulerit esse censuram innodatum; ut docet Sayr. lib. 2. cap. 16.: Si vero petatur in foro externo, distinguendum est; nam vel petitur generatim absolutio a censuris, quando nullius in particulari suspicio habetur, & procul dubio concedenda est; vel petitur absolutio ab aliqua speciali censura ad cautelam, & tunc præmittenda est aliqua cognitio causæ. Et absolvendus debet saltem semiplene putare, se non esse illa censura innodatum; vel quia, verbi gratia, sententia continet errorem, vel quia lata fuit post legitimam appellationem interpositam, vel ob aliam causam; ut docet ex multis juribus, & Doctoribus Pal. disp. 1. punct. 11.

Rogabis: An possit absolutionem concedere ad cautelam, non solum Ordinarius, de quo nemo dubitat, sed etiam delegatus?

Respondeo cum Laym. num. 9. ex Suar. sect. 8., & Ugolin., delegatum tunc solum posse ad cautelam absolvere a censuris, quando necesse est, ut testimonium alicujus recipiatur ad presentem causam decidendam; (quia scilicet aliorum testimonia haberi nequeunt) non tamen posse ad alios fines absolvere ad cautelam, puta ad collationem beneficii, &c.

Quarto demum concedi solet absolutio ad Reincidentiam, ita scilicet, ut nisi absolutus rem injunctam intra præfixum terminum exequatur, in eandem censuram incurrat. Ita in Cap. *Eos qui, de sententia excommunicationis in 6.*; ubi dicitur, quod absolutus ab eo, qui de jure non poterat ob legitimum impedimentum, si postea, cum commode possit, coram suo iudice non compareat, paratus exequi ejus mandata, in eam reincident excommunicationem: Ubi advertit Laym. cap. 7. ex Sanch. lib. 2. *Moralium cap. 17.*, non posse excommunicatum reincidente in eandem numero, sed solum in similem excommunicationem, atque adeo in eandem moraliter.

III. Quæritur secundo; An possit quis in priorem censuram reincidente absque nova culpa?

Respondeo, ab omnibus admitti, quod id fieri possit a Pontifice, si expresse velit, quod Titius, verbi gratia, excommunicatus tantum per mensem liber sit ab excommunicatione: Verum quando nihil Pontifex exprimit, & quando censuræ feruntur ab aliis Pontifice inferioribus, putant Suar. disp. 7. sect. 8., Hurt. disp. 14. de excommunicat. diff. 3., quod possit quis mere ob culpam præteritam in eandem excommunicationem reincidente; Si enim poena temporalis, puta e-

Pars VIII.

xilii, potest pro aliquo tempore suspendi, quidni etiam poena spiritualis? Sed communius cum Pal. disp. 1. punct. 11., Navar., Henr., Leand., Dian. part. 5. tract. 9. resol. 15. negant; quia censura ex sui institutione est poena medicinalis; atque adeo semel sublata nequit absque nova causa, seu absque actuali inobedientia, & contumacia iterum infligi: Ad quid enim infligeretur? Non est idem de poena temporali, quæ in puram punitivam, non in medicinam infligitur.

Advertendum tamen, absolutionem ad reincidentiam aliquando dari in ordine ad aliquem tantum effectum, puta, ut censuratus sit capax alicujus beneficii, vel ut impleat præceptum confessionis, & communionis annuæ, ut lucretur jubilæum, &c., ita ut transacto tali actu statim redeat in eandem censuram. Hæc tamen absolutio non est proprie a censura, sed ab aliquo effectu censuræ; unde non est mirum, quod sine nova culpa iterum incurratur præcedens obligatio. Cæterum solus Pontifex potest hoc modo absolvere ad reincidentiam, uno casu excepto, quando scilicet necesse est, ut aliquis censuratus testimonium dicat, eo quod non possit alia via veritas comprobari; in hoc enim casu quilibet Judex, etiam delegatus, potest absolvere reum ad hunc dumtaxat effectum, ut docent communiter Doctores cum Laym. cap. 7. ex Cap. *Veniens, de testibus.*

IV. Quæritur tertio; An obligationi comparendi cessante impedimento coram Pontifice, vel legitimo iudice, satisfaciat quis, si compareat per Procuratorem, aut per Epistolam?

Respondeo, Pal. disp. 1. punct. 11. cum Ugolin., & aliis negare; quia scilicet, si posset per procuratorem, aut per epistolam comparere, non esset expectandum, quod cesset im-

H pe-

pedimentum, ut compareat; nam eo durante posset per epistolam comparere. Alii tamen cum Sayr., Navar. apud Leand. quaest. 21. affirmant; quia juxta regulam Juris, *Quod per alium facis, per te ipsum facere videris*; quamvis in percussione Clerici requiratur praesentatio personalis, quia sic exprimitur in jure.

Utrum autem, si possit per Epistolam comparere, aut per Procuratorem, ad id teneatur? Bonac. quaest. 3. punct. 2. affirmat, quia non est credibile, quod Papa velit ab Episcopo absolutionem impendi, quando haberi potest recursus ad ipsum per epistolam; ut dicitur, cum de impedimenti matrimonii. Sed verius negat Henr. lib. 12. cap. 3.; quia nemo tenetur uti privilegiis; est autem privilegium, quod possit censuratus per epistolam recurrere ad Pontificem pro absolutione, quando non potest personaliter comparere.

V. Queritur quarto; An qui ab inferiore absolvitur ad reincidentiam ob aliquod impedimentum legitimum a censura Papae reservata; ita ut nisi intra mensem parti satisfaciat, reincidat in censuram; si deinde ante terminum praefixum satisfaciat, teneatur adhuc se praesentare Papae?

Respondeo cum Leand. quaest. 20., Navar., & alijs contra Cordub., & Rodriq. negative; quia scilicet in tali casu cessat finis talis obligationis, quae imponitur in cap. *Eos qui*: In foro autem praesertim conscientiae magis attendendus est finis, quam verba praecipientis, ex cap. *penult.*, de regul. juris in 6. finis autem comparandi Papae est, ut satisfaciat parti; ergo parte satisfacta non est amplius comparandum; praesupposita jam absolutione habita ab inferiore pro quando habebat talem facultatem. Quod si ad instantiam partis sit aliquis excommunicatus, & deinde parti satisfaciat,

non est liber a censura, donec absolvatur, ut supra diximus art. 1., quia ad tollendam censuram requiritur jurisdictionis.

ARTICULUS IV.

Quandonam absolutio a Censuris valeat pro foro externo?

- I. Num absolutio a censuris virtute Jubilai, aut Privilegii collata valeat etiam pro foro externo?
- II. Si detur facultas absolvendi a censuris, Auditis confessionibus, vel pro foro conscientiae, non praerequiratur ad illam confessio Sacramentalis.
- III. Neque si dicatur dari facultas absolvendi pro foro poenitentiae.
- IV. Mendicantes privilegiati non debent absolvi a censuris reservatis, si probabiliter deducende sint ad forum judiciale, aut cum offensione Ordinariorum.

I. Queritur primo; An absolutio a censuris data vi Jubilai, aut Bullae Cruciatæ, aut alterius privilegii valeat etiam pro foro fori?

Respondeo cum Suar. num. 21., Laym., & alijs communiter, quod quando in Bulla non exprimitur, quod absolutio concedatur tantum pro foro interiori, nec ex circumstantiis (puta ex materia subjecta, ex modo concessionis, aut ex antecedentibus, & consequentibus) id deducitur; tunc intelligatur concessa pro utroque foro. Ratio est, quia ex una parte beneficium Principis, seu gratia latissime interpretanda, ex leg. *Beneficium*, si de constitut. Principum; ex alia parte extensio absolutionis ad forum externum non est adeo specialis, & extraordinaria, ut non possit sub generali clausula comprehendi.

Quod si absolutio solum concedatur